

mniaque disrumpit. Memoranda hic etiam quædam sunt de effectibus fermentationis, quæ instituitur in vasis clausis.

6. Quando Lacryma vitri prius ignitur, ut poris corticis duri vitrei leniter calore apertis ætheri incarcerato egressus concedatur, apice diffracto non amplius exferit disrptionis istius violentæ effectum.

7. Particula auri fulminantis ferro imposita & candelæ admota maximum & stupendum fragorem edit, quoniam materia fluida miræ expansionis, quæ nitro copioso insidet, in poris firmissimi metalli incarcerata, calore admoto, violenta expansione claustra carceris rumpit & in aere tremulum vibrativum motum efficit.

8. Pila parva ænea aere repleta & ubique firmiter clausa si imponatur igni, intensissimo strepitu ac sono disrumpitur & damnum non leve corporibus ambientibus inferre potest.

DEMONSTRATIO. II.

Dantur corpuscula stupendæ exiguitatis, peculiaris virtutis & effectus.

Experimenta.

1. Effluvia magnetis per vitrum Mercurio repletum item 30. discos stanneos operando movent acum ferream libere in aere suspensam.

2. Spiritus fumans Sulphureus volatilis argentum multis chartis & linteis involutum fusco colore tingit.

3. Idem Spiritus argentum oleo prius inunctum & postea chartis involutum non amplius tingit, & ingratum colorem ipsi affricat, dum oleum effluviolorum horum efficaciam ac virtutem plane infringit.

4. Aqua frigida in æolipila contenta igne resolvitur in
ven-